

tavii portis & mœnibus præfuerant, a legatis sunt dimissi. Ex iis Angelus Quirinus legatorum ad Patres litteris laudatus; quod magna diligentia cum eo comitatu, quem adduxerat, in sua tuenda porta esset usus, sine ulla præterea stipe reipublicæ, quam reliqui omnes accepissent, sed impensa unius sua; ad Lauredanum Principem & ad Patrum collegium domum rediens cum se, ut mos erat, contulisset, suæ in rempublicam liberalitatis & virtutis fructum tulit, ipsorum & totius civitatis in se se benivolentiam. Citadella, Bassianum, Asulum, post hostium abitum non magno sunt negotio recepta: Marostica etiam, sed difficilius aliquanto, arce tormentis expugnata, captique in ea Germani milites cum eorum centurione non pauci, & inermes omnes dimissi. capti & Taurisani rebelles aliquot, atque a Mocenico legato, qui aderat, suppicio affecti. Interim Troilus Sabellus ex Romanis principibus reipublicæ militiam facturus ad urbem venit, cum in itinere equites septuaginta reliquisset. eum Patres liberaliter exceperunt. Iudein Patres Joanni Beltramio Hispano mercatori sane industrio, qui ob Julianas interminations Ferraram ab urbe se contulerat, petenti ut tutum se liberosque suos facerent ab iis tributis, quæ sunt ab ipsis ante eum diem in ærarium inferri jussa, ita se in urbem reversurum, neque postea discessurum: libenter annuerunt: literasque ad illum ejus rei obsides dederunt.

Julius autem magnopere in Alfonsum incensus, expugnatis oppidis nonnullis ab ejus copiarum imperatore adolescenti Francisco Maria Metaurensum duce, & Joanne Paulo Balione equitum præfecto, in primis ab Ravenna Faventiaque finibus, a Senatu petiit, ut suos equites levissimos & ipse ab alio finium latere in ejus regnum prædabundos immitteret. atque ipse primum Romæ in Cardinalium collegio editum in Alfonsum promulgavit, in quo rebellem illum in se se Romanamque rempublicam sæpe appellabat: deinde id editum & in valvis templorum Romæ affigi, & Bononiae in foro re-

*Marostica  
recipitur  
prid. id.  
aug.*

*Julii edi-  
tum adver-  
sus Alfon-  
sum  
III. id.  
aug.*

cita-